Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8479
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

nomen eius. admirabilis: consiliarius. deus. fortis. pater futuri seculi. princeps pacis. Multiplicabit eius imperium: et pacis eius non erit finis. Super solium dauid. et super regnum eius sedebit. ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia. amodo et usque in sempiternum. Ad tytum.

Karissime. Apparuit gratia dei et saluatoris nostri di omnibus hominibus: erudiens nos ut abnegantes impietatem et secularia desidia. sobrie et iuste et pie uiuamus in hoc seculo expectantes beatam spem et aduentum gloriae magni dei. et saluatoris nostri ihu xpi. Qui dedit semetipsum pro nobis: ut redimeret nos ab omni iniquitate. et mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum opum. Hec loquere et exhortare in xpo ihu domino nro.

Hallo.f. Exiit edictum a cesare augusto. lucam. ut describeretur universus orbis. Hec descriptio prima facta est a preside syrie cyrino. Et ibant omnes ut profiterentur: singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem et ioseph a galylea de ciuitate nazareth. in iudeam ciuitatem dauid. que uocatur bethlehem. eo quod esset de domo et familia dauid. ut profiteretur cum maria desponsata sibi uxore pregnante. Factum est autem cum esset ibi: impleti sunt dies ut pareret. et peperit filium suum primogenitum. Et pannis eum inuoluit: et reclinauit eum in presepio. qa